

DISQVIVISIONUM ORGANICARUM VICESIMA

TERTIA,

De

*an
22. Visitation
Vid. supra ante 14.
folia.*

POTENTIIS SYLLOGISMORUM

è lib. 2. prior. Analyt. cap. 1. & seqq.

QUAM

in Illustri ad Salam Academia,

PRÆSIDE

Clarissimo & Excellentissimo VIRO

Dn. M. MICHAELE WOLFIO,

Philosophiæ Naturalis Professore publico. p.t.

Rectore Magnifico, Præceptore ac Fautore suo
observando

Defendendam suscipiet

JOHANNES DIETLMAIERUS RATISPONENSIS.

Horis & loco consvetis.

Ad diem 6. Cal. Maij.

J E N Æ

Typis Johannis Beithmanni,

ANNO M. DC. XVII.

*Clarissimo Humanissimo atq; Doctissimo Viri Dno M. Johanni
Wilcovero P. L. Gymnasij Poetici Ratib. Glorissimi Con-
s. vigilantissimi Præceptoris ac Fautoris suscipienda*

*210/20-4
K 60*

Md043



Florentissimæ Procerum coronæ

V I R I S

MAGNIFICIS, NO-
BILISSIMIS, AMPLIS-
SIMIS, PRUDENTISSIMIS, CON-
sultissimis, Dominis Consulibus, totiq; ordi-
ni Senatorio inclytæ ac liberæ imperi-
alis Reipublicæ Ratispo-
nensis.

*Dominis Patronis meis æternâ pietate & quovis observan-
tiæ cultu prosequendis.*

*Ἀγώνησιν hanc Logicam in grati animi τεκμήριον
& debitæ observantiæ δῶσι τιμηθεὶς
submissè*

Inscribere

Dedicare

Volui

Debui

Johannes Dietlmajerus Ratisp.
Respondens.

M. MICHAELIS VVOLFII
Physices Prof. Publ.

Disquisitionum Organicarum VICESIMA TERTIA.

DE

POTENTIIS SYL-
LOGISMORUM

è lib. 2. prior. Analyt. Cap.

1. & seqq.

Respondente

IOHANNÉ DIETLMAIERO

Ratisponensi.


CONTINUATIO.

Præcedenti libro prior. Analyt. tria potissimum excutiebamus, Vnum erat, quomodo Syllogismus esset constituendus ac quasnam propositiones, quibus conclusio inferenda, sumere oporteret: Alterum, quomodo datâ quacunque conclusione propositiones inveniendæ, quibus eadem probaretur, & deniq; tertio quomodo oratio syllogistica, confusa & imperfecta, ad formam modumq; posset revocari: Videamus nunc, quo de Philosophus hoc secundo prior. Analyt. cor. libro sit acturus.

THEOREMA I.

Quid Aristoteli libro 2. prior. Analyt. propositum sit, haud eadem est interpretum sententia.

SECTIO I.



Uerunt nonnulli qui existimarunt Arist. hoc libro 2. potissimum syllogismū hypotheticum respexisse, eam ob causam, quoniam cap. 40. lib. 1. Prior. inquit opus esse ut Syllogismi Hypothesici considerentur ac dilu-

ty

cidè

Varie opi-
niones

cidè explanentur. Alij 2. putant hîc de materia Syllogismi agi, cum in precedentibus actum sit de forma. Alij 3. opinantur hîc doceri artem disputandi ex probabilibus, cujusmodi est ex falsis verum concludere. Alij 4. volunt tractari de ijs que demonstrationem impediunt, qualia sunt ratio cinari ex falsis, petere principium & c.

Rejectio
eorum.

2. Nullam autem harum probare possumus, siquidem prima nihil aliud concludit, quàm quòd Arist. lib. 2. prior. Syllogismi hypothetici memoresse debuerit, eò quia ejus tractationem pollicitus fuerat: quamvis unam tantum eius speciem attigerit, uti videbimus infrà. Secunda planè admitti non debet, vel enim intelligenda est materia ἀόριστος, abstracta quasi à necessario & probabili; aſt hæc ambobus libris priorum Analyt: communis est; vel materia necessaria aut probabilis; aſt de hac in post. Analyt. & in Topicis. Tertia propria vineta cædit: Si enim in hoc libro docetur, quomodo ex falsis verum ratio cinemur, quò Topica hîc docebuntur, cum hæc ex probabilibus, non verò ex falsis concludant. Quarta si vera esset, multa ut supervacanea foret rescindenda, quandoquidem Inductio quâ de hoc lib. demonstrationem non impedit; verum illam vel maximè juvat, ut cætera taceam.

Verior sen-
tentia.

3. Veriorem proinde judicamus Latinorum non nullorum sententiam statuentium hîc de proprietatibus seu affectionibus Syllogismorum doceri. Quod non ita velimus accipi, quasi Syllogismus in logicis sit quoddam *ἕνος ὑποκείμενον*, de quo demonstranda sint affectiones, ut fieri solet in scientijs: quippe sic statuendum foret Logicam esse scientiam propriè sic dictam, quod nobis adversatur. Nec existimandum est, quasi hîc duntaxat de proprietatibus Syllogismi agatur: negari namq; non potest multas quoq; lib. 1. prior. fuisse pertractatas; sed quod de ijs sermo fiet, que ad perfectam ratiocinationem desiderabantur, seu, ut generalius cum Alexandro hoc loco loquar, quod doceatur de ijs, que ad perfectam ratiocinationem adhuc deesse videbantur.

Tria in l. 2.
prior. An.
consideran-
da.

4. Quemadmodum autem tria erant de quibus totus liber 1. prior. solvebatur: ita quoq; tria sunt, quibus de potissimum tractatio in hoc lib. 2. prior. suscipitur. Primum est de Syllogismorum *δυναμει* potentijs, secundum de eorundè *ἀδυναμει* impotentijs tertium de imperfectis argumentationibus que tamen ad Syllogismum reducuntur. Hac vice de potentijs tantum erimus solliciti.

THEO.

Potentiarum Syllogismi sex sunt, quarum prima est, colligere plures unam conclusiones.

SECTIO. I.

Cap. I.

1. *Primam hanc Syllogismi potentiam* Ramus lib. 7. Schol. dial. c. I. *planè è medio tollere conatur hisce duabus rationibus. i. argumenti & generalis medij ad res multas pertinentis est, ut plures conclusiones colligantur: E. nec Syllogismi nec compositionis nec dispositionis nec figuræ aut modi* 2. Si uno Syllogismo plures unam conclusiones colliguntur, unus Syllogismus erit plures, quod absurdum: *ratio est, quia tot sunt Syllogismi, quot sunt conclusiones.*

2. *Sed ne teruncio rationes hæ sunt redimenda, quia eo ipso quo Syllogismus propter medium plures conclusiones colligit, statuitur Syllogismorum quandam potestatem esse, quâ plures conclusiones liceat colligere. Alterum nihil aliud concludit, quàm unum Syllogismum esse plures sc. quoad potestatem seu virtutem, quod nobis non obest.*

Refutatur
Ramus.

3. *Obijci præterea & hæc solent: Si uno Syllogismo plures conclusiones cōcluduntur tunc vel æquè primo, vel una primariò altera secundariò colligentur. Atqui neutrum. E. Minor probatur, quia impossibile est, ut duæ conclusiones æquè primo colligantur. Quod si autem una primariò altera secundariò colligeretur, tunc non videretur posse ratio reddi, cur una magis quàm altera inferretur. Deinde, convertens & conversa sunt una propositio, quia quicquid est in una, est quoque in alia.*

Aliæ obj.

Resp.

4. *Ad prius autem respondemus, primò inferri unam & secundariò alteram, quia ut convertentem inferas, necessariò primum conversa est inferenda. Ad posterius dicimus, quod licet in conversa & convertente idem reperiatur, non tamen statim, quicquid est in una sub ratione formali subjecti, in altera est sub eadem ratione. Inquies! ast materia utrobique una est. Respondeo hoc non obstat, si quidem illa non sunt eadem, quæ unam habent materiam, nisi eadem utrobique formalitas deprehendatur. Vid. Mart Polich. 2. prior Anal. fol. 12.*

Ty 2

s. Quo-

Qui syllogismi plura concludant et qui non.

Modi colligendi plures conclusiones sunt duo.

Dubium.

Solut.

Ufus

5. Quoniam verò Syllogismi ratione quantitatis duplices sunt alij universales, alij particulares: tenendum est, universales semper plures unâ conclusione colligere; particulares verò non item. Licet enim ex particularibus affirmantibus plures colligantur, è particularibus tamen negantibus non licet, quia non convertuntur nisi per contrapositionem.

6. Ex quo liquet, duobus modis plures conclusiones colligi. 1. per conversionem conclusionis. Sic syllogismus qui infert conclusionem affirmantem, infert quoque particularem conversam, veluti si è premissis collegi, O. hominem esse animal, simul & hæc conclusio E. quoddam animal est homo, colligitur, quamvis indirectè: similiter se res habet in cæteris: unde quoque regula illa extracta est: præmissæ inferentes conversam inferunt. etiam convertentem.

7. Altero modo per subsumptionem, quod dupliciter fieri indicat Aristoteles, vel sub minori extremo vel sub medio. Sub minore, quando sub illo distributo sumo aliud, quod adhuc minus est sive angustius minori illo; ut si hoc modo conclusissem. O. Corpus est substantia. O. Animal est corpus. E. O. animal est substantia, tunc simul & hæc conclusio esset collecta. E. homo canis & c. est substantia: ratio est, quia sub animali tanquam minori extremo possum hominem, canem & c. tanquam adhuc minora extrema colligere. Quare si conclusio loco maioris fuerit posita, & minus extremum loco medij, hunc habebis Syllogismum O. animal est substantia. O. homo est animal. E. O. homo est substantia. Quando sub medio sumitur aliud minus extremum, ut sub corpore in priori Syllogismo, homo, leo & c. manente eadem maiore propositione.

8. Dubitatio hæc oritur, an verum sit quod Arist: hoc loco ait, eundem esse Syllogismum eius quod sub minore extremo sumitur, & quod sub medio? Negativa enim probabilior videtur ob eam rationem, quia Syllogismus sub minori seu conclusione concludit per propositionem priori Syllogismo probatâ, quod Syllogismus sub medio non facit, ut patet ex exemplis. Responderi autem solet eatenus eandem esse Syllogismum, quatenus per idem medium vi principij dici de omni concluditur, in quâ responsione cum Morlorio in paraph. sup. Cap. i. acquiescimus.

9. Utilitas hujus potestatis potiss. est, ut sciamus quot con-

conclusiones possimus colligere: Sic enim fit ut illa tandem
occurrat, quæ nobis probanda incumbit. 309.

THEOREMA III.

Secunda est de conclusione vera è præmissis falsis.

SECTIO I.

Conclusionem veram è præmissis ^{falsis} ~~veris~~ haud effici posse vide-
tur 1. propterea, quia posito effectu bono non potest non poni causa
bona, quare si conclusio vera tanquam effectus, utiq; & præmissa
tanquam causa. 2. Oppositorum opposita est ratio. E. quemadmo-
dum è vero semper sequitur verum, ita quoq; ex falso non nisi fal-
sum. 3. Falsum se habet ut non ens, verum è contra ut ens: atqui
non ens non potest esse causa entis.

Cap. II.
Dubitatio-
nes contra
secundam
potentiam.

2. Verùm primum quod attinet, distinguendum est inter
bonitatem formæ, & sic quemadmodum conclusio bona est, ita
quoq; præmissa legitime disposita, ac materiæ, & sic negamus po-
sitâ conclusione bonâ etiam quoad veritatem, necessario quoque
præmissas esse veras, quia hoc modo non per se, sed per accidens cau-
sa sunt conclusionis. Distingui aliàs solet inter causam illationis
conclusionis, & causam veritatis quæ est habitudo prædicati ad
subjectum. Ratione illius licet præmissæ falsæ sint causa conclusi-
onis, non tamen eius sunt causæ, ut veræ conclusionis; sed ut con-
clusionis formaliter considerata. Quæ responsio cum priori coin-
cidit.

Diluuntur.

3. Ad secund. Respond. oppositorum quidem eandem esse
rationem, si eodem modo se habeant, quod tamen hic negatur, quia
præmissæ falsæ per accidens & remotè sunt causæ conclusionis ve-
ræ, quæ vera est; E contra præmissæ veræ per se, quatenus sc: sunt in
legitimo modo & figurâ, quod semper addendum. Ad tertium ea-
dem ferè est responsio, non ens enim per se non est causa entis, quàm-
vis benè per accidens quod hoc loco etiam valet.

4. Verùm enim verò è falsis verum concludi posse, inducti-
one omnium trium figurarum ostendi potest. Vbi tamen prius no-
tandum est, propositionem falsam esse duplicem vel in toto vel in
parte. In toto, est propositio universalis, quæ, desiniente Aristo-
tele est contraria veræ, sive cuius prædicatum nulli sub sub-
jecto contento cõvenit: ut; O homo est lapis. In parte est propo-
sio

Cap. II.
Propos. Du-
pliciter fal-
sa.

fitio universalis quæ contradicit veræ, sive cuius prædicatum couenit alicui sub subiecto contento, ut *O. homo est Musicus.*

5. *Primam ideog³ figuram quod attinet, tripliciter è falsis verum potest effici. 1. Si in modis universalibus amba præmissæ vel in toto vel in parte fuerint falsæ, vera sequitur conclusio, ut O. lapis est animal, O. homo est lapis. E. O. homo est animal. Itē O. album est animal. O. homo est albus. E. O. homo est animal. 2. Si in modis universalibus major sit in toto falsa, & minor vera, non sequitur conclusio vera, sed è contra quando major vera & minor in toto vel in parte falsa, ut non sequitur, O. animal est lapis, O. homo est animal. E. O. homo est lapis; sed vice versa, O. homo est animal, O. Canis est homo. E. O. canis est animal. 3. Si in modis particularibus utraq³ præmissæ falsæ vel alterutra sive in toto sive in parte, vera poterit sequi conclusio.*

Cap. III.

6. *In secunda fig. indistinctè tam in modis universalibus quàm particularibus è falsis verum concluditur, sive amba præmissæ sint ex toto sive ex parte falsæ, sive una vera & altera falsa, quemadmodum in textu per singulas partes confirmatur, quò Lectorem remittimus.*

Cap IV.

7. *In tertia Fig. similiter indistinctè verum è falso sequitur, quemadmodum in textu videri potest.*

8. *Summatim a. ex hisce omnibus colligere est, quod quidè à falsitate conclusionis ad falsitatem vel ambarū vel alterius præmissæ argumentari liceat; sed non à veritate conclusionis ad veritatem præmissarū. Ratio hujus rei est, quia conclusio se habet ut consequens; præmissæ ut antecedens. Quemadmodum g. destructo animali tollitur quoque homo: ita quoque datâ conclusione falsâ, necessario vel amba vel altera præmissarū falsa existit. E contra quemadmodum dato consequente non statim ponitur antecedens, veluti non sequitur, animal est, E. homo est: ita quoque datâ conclusione verâ, non necesse est præmissas esse veras.*

Ratio cur à
conclusionem
vera ad ve-
ritatē pro-
positionum
argumen-
tarum non li-
ceat.

Ufus

8. *Utilitas hujus potestatis omnibus in disputationibus longè maxima est: nam, ut diximus, datis veris propositionibus, protinus inferre licet, & conclusionem veram esse, item datâ conclu-*

conclusionem falsam & præmissas vel unam ex illis falsam esse, non secus ac in argumentationibus ad impossibile ducentibus solemus procedere, ut videbimus.

310

THEOREMA IV.

Tertia est *circulus seu probatio circularis*

SECTIO I.

Syllogismus circularis sive in orbem fit, quando è conclusionem & alteram propositionem conversam infertur reliqua propositio. Nomen accepit à circulo geometrico: quemadmodum enim à puncto circuli per totam $\pi\epsilon\rho\iota$ $\Phi\acute{\epsilon}\rho\epsilon\iota\omicron\nu$ ad idem, ita syllogismo circulari à præmissis ad conclusionem & à conclusionem ad præmissas procedimus.

Cap. V.
Syllog. circular. quid

2. *Sunt autem dubia nonnulla, quæ videntur suadere, circulum inter syllogismorum potestates tolerandum non esse. 1. Syllogismo circulari aliquid respectu eiusdem magis minusque notum efficitur, ratio est, quia præmissæ sunt notiores conclusionem, quando ideoque è conclusionem fit propositio, & è propositionem conclusio, tunc quod minus notum, fit magis notum & vice versa. 2. Petit principium, quod non est potentia sed impotentia. 3. Procedit ab æquali ad æquale, cum aliàs in syllogismo bono fiat processus à toto ad partem. 4. Aristoteles ipse l. 1. post. Anal. C. 3. maximè eum reprehendit, nec ullo modo admitti posse contendit.*

Dubia.

3. *Respondemus autem ad primum, non absurdum esse aliquid esse magis minusque notum respectu eiusdem, secundum diversos cognitionis modos. Sic præmissa, quæ secundum rem præmissa est, notior est simpliciter conclusionem, conclusio autem quo ad nos, ut rectè respondet Polich. l. 2. prior. Anal. f. 13. Ad secundum dicimus negando quod principium petat, quia Syllogismus principium petens is est, qui ejusmodi habet medium, quod non est aptum ad probandum, vel quod æquè est dubium: in circulo autem medium adhibetur, quod modo magis modo minus notum est, ut jam diximus. Ad tertium respondetur, etiam in circulo à toto ad partem fieri processum, si non secundum rem, tamen secundum modum: Semper enim major propositio ut totum; Conclusio ut pars se ha-*

Solut.

se habere intelligitur. Denique testimonium Aristotelis quod spectat, non simpliciter illo circulus rejicitur; Sed duntaxat in eodem genere demonstrandi, ubi vitiosus est, in diverso autem non item, uti l. c. & l. 2. post. C. 13. videre licet

4. Porro Syllogismus Cyclicus extruitur è terminis convertibilibus atq; hinc in perfectum & imperfectum dissecitur.

E quibus
constet Syl-
log. Circu-
laris & quo-
tuplex.

5. Perfectus est, in quo cum conclusione ambae praemissae & earum omnium convertentes ostenduntur. Reperitur duntaxat in *BARBARA*, & quidem tum, quando omnes termini essentialiter coherent & simpliciter converti possunt. Unde colligitur eundem sex syllogismis constare propter terminorum conjugationem, quae sex modis variari potest, ita tamen ut primus reliquorum sit fundamentum. Ejus exemplum vide apud Pacium in *Org.* & Tomo 1. *Doctrinae Peripat.*

6. Imperfectus est, cujus non omnes; sed aliqua saltem propositiones ostendi possunt. In quo autem modo imperfectus fiat circulus manifestum erit, si singulas figuras perlustraverimus.

7. Quemadmodum enim Minor in *Celarent* circulo probari non potest; sed sola major per conclusionem, & minore simpliciter conversâ: ita e contra Major in *Darij* & *Ferio*: ostenderetur enim tanquam universale, ex conclusione particulari, quod ἀλλο-
γον est.

Cap. VI.

8. In secunda figura propositio affirmans circulariter probari non potest, quia illa non nisi ex utrisq; affirmantibus confirmatur, quod hinc fieri nequit, siquidem conclusio semper negans est. E contra propositio negans in orbem probatur, veluti in modo *Camestres*, per conclusionem & majore conversâ, infertur minor. In *Cesare* verò major primò non ostenditur; Sed ejus conversâ, & ex hac convertèda, ut cum dico, Nullus lapis sentit, O. animal sentit E. N. animal est lapis, major circulo non ostenditur primò in eadem figura; sed in primâ ex conclusione & minore conversâ hoc pacto. N. animal est lapis. O. sentiens est animal E. N. sentiens est lapis, ex quâ conversâ ostenditur convertens. N. lapis sentit, quae erat major in *Cesare*.

9. In modis autem particularibus *Baroco* & *Festino* major circulo probari non potest, fieret enim hoc ex particularibus quod absurdum: quamvis eorum particulares; Sed non eodem modo.

Minor

Minor enim in Baroco probatur ex maiore conversa & conclusione in eadem figurâ & modo, ut cum dico O. sentiens est animal. Q. Bipes non est animal. E. Q. bipes non est sentiens, tunc minor ita probatur in orbem. O. animal sentit; Q. bipes non sentit. E. Q. bipes non est animal. Ast in Festino minor eum ad modum probari non potest, nam vel ambæ præmissæ forent negantes, vel certè altera, quâ non infertur particularis affirmans. Potest tamen alio modo conversionis probari, quando videlicet major & conclusio negativæ in affirmativas commutantur, ut si sic fuisset argumentatus. N. accidens est substantia. Q. per se existens est substantia. E. Q. per se existens non est accidens, tunc probarem in orbem hoc modo, cui deest accidens, illi omni adest substantia; Atqui cûidam per se existenti deest accidens. E. illi omni adest substantia. Atque hoc pacto minor etiam in celarent circulo demonstrari poterit. Quamvis hæc commutatio in quâvis materiâ haud fiat; Sed potissimum in contingente: nam si conclusum est, quoddam animal non esse lapidem non converteretur in affirmantem.

10. In tertia figura propositio universalis circulo non probatur, ratio est, quia conclusio particularis est. Minor in Datifi probari non potest vero circulo, siquidem non minor sed eius conversa in 1. Fig. colligitur. Major in Disamis probari potest minore conversâ & conclusione loco majoris positâ. Minor in Ferison ostendi non potest, fieret enim hoc ex duabus negantibus, quod impossibile. Potest tamen eum ad modum ostendi, quo Festino ut sect. præc. dictum.

CAP. VII.

11. Ex hisce jam positis duo elicimus, quorum unum probationes circulares modo in eadem fieri figura, modo in diversâ; alterum probationes circulares 2. & 3 figurarum ut in Cesare & Datifi, quæ non per easdem; Sed per primam Figuram fiunt, non esse syllogismos circulares, aut certè imperfectos.

Confect.

12. Usus hujus potestatis est, ut interserviat regressui, quando ab effectis ad causas, & contra procedimus, quemadmodum Arist. 1.2. post. Anal. C. 13. ejusmodi circulos in naturalibus dari ostendit.

Usus.

THEOREMA V.

Quarta est probatio per conversionem.

C.VIII.

Zz

SECTIO



Probatio
per convers.
quid sit.

Duplex ejus
definitio.

Fundamen-
tum quartæ
potestatis.

Convers. fit.
duobus mo-
dis.

Reg de 1.
Fig. modis
univers.

Definit hanc potestatem Philosophus, cum mutatâ conclu-
sione in oppositam partem efficitur Syllogismus, quo aut ma-
jus extremum medio aut medium minori extremo non ines-
se colligitur *quæ definitio speciatim ad Syllogismos affirmativos i.
Fig. directa est. Generalior autem l. 8. Topic. c. 5. habetur, nimi-
rum cum ex contrariâ aut contradicente conclusionis unâ cum al-
terâ præmissarum evertimus alteram, ac contrariam aut contra-
dicentem colligimus. Ut si quis hujus Syllogismi; O. animal sentit.
O. homo est animal. E. o. homo sentit, conclusionem neget, sumo
illius contrariam, N. homo sentit, ac simul unam præmissarum, &
sic procedo. O. animal sentit. N. homo sentit. E. N. homo est a-
nimal. Quæ conclusio cum sit absurdissima, & verò falsum non ni-
si è falso sequatur, igitur vel ambas præmissas vel alterutram fal-
sam esse oportebit: Atqui major falsa non est, Teste ipso adversario,
ergo minor: ast si hoc, vera erit, quæ huic opponitur, qualis est con-
clusio prioris syllogismi. O. homo sentit. Atque sic habeo probatio-
nem per conversionem seu reciprocationem.*

2. Cujus quidem fundamentum est regula illa: Si destructio
consequente, ut animali, destruitur antecedens, ut homo; tunc
necessariò sequitur consequens ad antecedens. *Datâ enim
conclusionem falsâ, tanquam consequente destructo, datur quoque
una præmissarum falsa tanquam antecedente quod destruitur: &
datâ præmissarum unâ verâ tanquam anteced. sequitur conclusio
vera tanquam consequens.*

3. Utile a. est scire, conversionem duobus modis fieri, vel in op-
positam, ut loquitur Arist. l. c. hoc est in contradicentem, vel con-
trariam.

4. Primam figuram quod attinet, de modis univ. salibus hæ-
teneantur regule. 1. sumptâ contrariâ enunciatione conclusio-
nis cum eadem majore propositione, colligetur contrarium
assumptionis in secunda figura, ut si in hoc Syllogismo. O animal
sentit. O. homo est animal. E. O. homo sentit, sumferis contrari-
um quod est, N. homo sentit, cum eadem majore colliges contrari-
um in 2. fig. hoc modo. O animal sentit. N. homo sentit. E. N. ho-
mo est animal. 2. Sumta contraria conclusionis cum minore
colliges contradicens majoris in tertia figura. ut in hoc syllogis-
mo superius proposito si sumatur contrarium conclusionis. N. homo
sentit.

sentit cū minore, O homo est animal, ita concludes E. Q. animal non sentit, similis est ratio modi Celarent. 3. Si sumatur conclusionis cōtradicens sequētur conclusiones cōtradicientes. Ratio est, q̄ ipsa erit particularis, ex qua universalis haud colligitur.

315

5. De modis v. particularibus regula haec notetur: Sumptā cōclusionis contradicente, utramq; prēmiffarū evertes colligēdo contradicens non v. subcontrariū. Sic in hoc Syllogismo. O animal sentit, Q. bipes est animal. E. Q. bipes sentit sumptā conclusionis contradicente utramq; prēmiffarum evertes, minore hoc modo. O. animal sentit. N. bipes sentit. E. N. bipes est animal, majorem, N. bipes sentit. Q. bipes est animal, E. Q. animal non sentit. Cur autem sub contraria non sequatur conclusio, causa est, quia si cum majore prop. & subcontraria conclusionis assumptionem velles evertere, subcontraria nunquam possent simul esse vera & falsum ut patet è lib. de Interpr. ut si hujus syllogismi. O. animal sentit. Q. bipes est animal. E. Q. bipes sentit, minorem cū subcontraria conclusionis, quae est. Q. bipes non sentit, & cū majore conareris evertere, nihil efficeris, si quidem utraq; vera est, Q. bipes sentit, & Q. bipes nō sentit similiter si cū cōtraria conclusionis & minore evertere velles majorē ratiocinatio è particularib. cōstaret.

De part. 1

6. Porro in secunda Fig. haec duae regule observentur, quorū prior ad modos universales pertinens sic sonat: Sumto contrario vel contradicente conclusionis, ambae prēmiffae tollentur, quamvis major nunquam per contrarium. Ratio est, quia ratiocinatio fiet in 3. Fig. ubi conclusio semper particularis. Posterior talis est: in modis particularibus ex solā conclusionis contradicente utraq; prēmiffa evertitur. Perinde comparatum est ac cum modis 1. Figure particularibus.

CAP. IX.

de 2. Fig.

Regula.

7. Deniq; in tertia Fig. cum nullus detur modus universalis, sed omnes sint particulares, hoc unicum notetur, quod est, è contradicente cōclusionis ambas quidem everti prēmiffas, nunquam verò è subcontrario. Ratio è supra dictis facile potest colligi.

CAP. X.

Reg. de 3.

Fig.

8. Usus hujus potestatis duplex est. 1. Cōducit ad Syllogismos di. ad v. ducentes, cū conversio hisce sit similis, uti infra videbimus. 2. Facit ad parandā propositionum copiam: nam cum conversio nihil sit aliud, q̄ quando cū conclusione & prēmiffarū altera evertimus alterā, nemo non videt hanc rationem majorem nobis propositionū copiam suppetere. Vnde Arist. l. 8. Top. c. 1. jubet ut causa

Ufus.

Duplex.

Z z 2

dispu-

THEOREMA VI.

CAP. XI.

Quinta potestas est Syllogismus per impossibile

SECTIO I.

Syllogismum διὰ τῆ ἀδυνάτου per impossibile vocat quando-
que Aristoteles syllogismum ἐῖς τὸ ἀδύνατον ad impossibile: quam-
vis prior appellatio apud eundem sit frequentior magisq; congrua,
ea propter quia in absurdo illo ad quod adversarium deducimus,
non acquiescimus, sed per illud ad primariam conclusionem rever-
timur.

Syllogismus
per impossi-
bile quid
sit.

2. Est autem syllogismus per impossibile, cum conclusionis
contradictoriam sumimus, & cum eâ aliam propositionem
manifestò veram, quibus conclusio falsa sive impossibilis cō-
cluditur, ex quâ postea prima nostra conclusio efficitur.

Similitudo
& diff. con-
vers. & syl-
log. per Im-
possib.

3. Extruitur in omnibus figuris, unde etiam conversioni simi-
lis est. Differt tamen ab illâ, quia in conversione, ut syllogismus
precedat, necesse est: deinde opus est, ut ponantur seu concedantur
amba propositiones, & postea sumatur conclusionis oppositum, è qui-
bus primus extruitur syllogismus: at in syllog. per Impossib. nulla
alia precedit ratiocinatio, præterea una saltem præmissarum con-
ceditur; altera verò necessario sumitur juxta illud, cujus Arist. in
fine hujus cap. meminit, de omni revera est affirmatio vel ne-
gatio, adeoq; si probatum sit, non esse veram negationem, ne-
cesse est affirmationem veram esse & vice versâ.

Obi.

4. Videtur quidem non minus in Syllog. Imposs. utramq; pro-
positionem concedi, unam nimirum propositionem & conclusionis
contradictoriam, nam quoniam conclusio falsa est, ejus contradi-
ctoriam veram esse relinquitur: verum non ita est, quia in Syllog.
per Imposs. una præmissarum necessario sumitur tanquam ma-
nifestò vera, ut dictum, non tanquam positâ seu concessa quod ta-
men fit in conversione.

Resp.

Duo, confi-
deranda in
syllog. per
Imposs.

5. Cæterum è definitione traditâ apparet duo principaliter in
Syllog. per Imposs. esse consideranda, quorum unum est de modo
quo adversarius per Imposs. ducitur: alterum de processu.

6. Modum;

6. Modum quod attinet, assumitur primum contradictoria conclusionis, quam, puta conclusionem, adversarius negabat, deinde propositio manifestò vera, & quam adversarius negare non potest, atq; hinc infero conclusionem manifestò absurdam & impossibilem. Sit exemplum. Docuerunt Pontificii in colloquio Ratisponensi sess. 2. hanc propositionem esse falsam. Aaron vivente, Mose fuit summus Sacerdos, sumo igitur ejus contradictoriam, Aaron vivente Mose non fuit summus Sacerdos, & cum eà aliam, quam adversarii planè negare nequeunt, quæ talis est, Aaron ante Mosen fuit mortuus, unde sic infero: Quicumq; vivente Mose non fuit summus Sacerdos, & ante Mosen mortuus est, is nunquam fuit summus Sacerdos. Atqui Aaron secundum Pontificios vivente Mose non fuit summus Sacerdos, & ante Mosen mortuus est, ut constat. E. Aaron nunquam fuit summus Sacerdos. Conclusio absurda est & contra Epist. ad Hebr. c. 5. & alibi, ergo quedam præmissarum; non major, quæ suâ luce radiat, ergo minor, & per consequens vera erit quæ huic contradicit, nempe Aaronem vivente Mose fuisse summum sacerdotem, ὅπερ ἐδείξαι.

7. Vbi tamen notandum est sæpenumero in disputationibus evenire, ut multò compendiosius adversarium ad absurdum redigere possimus: quando enim is utitur propositione aliquâ universali falsâ, quam tamen veram esse contendit: tunc illam loco majoris pono, & subsumo aliam manifestò veram, & concludo manifestum absurdum, quod cum concedere nequeat, nolens volens ejus contradictorium, & quod nos volebamus, admittere necesse habet. E. G. Calviniani semper in ore habent propositionem illam, quam universaliter veram esse clamitant, quot sunt τρόποι ὑπάρξεως, tot sunt essentiæ, hoc si verum est, subsumo. Atqui in divinis tres sunt τρόποι ὑπάρξεως, ut notum. E. in divinis tres sunt essentiæ, quod contra analogiam fidei & falsissimum; quare cum minor per se sit manifestò vera, majorem falsam esse relinquitur.

8. E quibus apparet duplicem in Syllogismo per Imposs. processum cerni, quorum unus est Categoricalis, alter hypotheticus. Ille prior est & consistit in sumptione propositionis manifestò veræ & ejus quæ conclusioni contradicit, è quibus falsa conclusio elicitur. Hic posterior, quando è datâ conclusione absurdâ hypotheticè



thetice concludo, necessario alterutram premissarum esse falsam. Sic cum Calviniani asserunt, propria non communicari, sic procedo ponendo istam propositionem loco majoris. Propria non communicantur, & subsumo, atqui hypostasis τὸ λόγος est τὸ ἰδίον propria, ut per se notum & concludo. E. hypostasis τὸ λόγος carni Christi non fuit communicata. Qui processus est categoricus. Porro cum videam conclusionis absurditatem, sic pergo: Si falsa est conclusio, utiq; quedam premissarum. Atqui prius est. E. & posterius, & per consequens vera erit que illi contradicit. Qui processus est hypotheticus & quidem non disiunctus sed conjunctus.

9. Quae cum ita sunt, Aristoteles non immerito Syllog. per Imposs. vocavit hypotheticum: nititur enim duabus hypothesebus, quarum prior, duas contradicentes non posse simul veras & falsas esse, altera, è premissis veris falsam conclusionem non posse inferri.

10. Ex quo simul elicitur, non contrarium sed oppositum, hoc est, quod problemati contradicit supponendum esse: contraria enim ut & subcontraria ita sunt comparata, ut non necesse sit alterum statim inesse si hoc non insit, veluti non sequitur. N. homo est doctus E. omnes homines sunt docti, e contra si de omni re vera est affirmatio aut negatio, uti est in contradicentibus certe si probatum fuerit, non esse veram negationem, necessarium est veram esse affirmationem, & contra si quisquam affirmationem non admittat, probabile admodum est, statuere adversus eum negationem: Dico probabile admodum, cum Philosopho, non ut innuam, quasi principium hoc cui Syllog. δι' ἀδυνατίας innititur (impossibile est aliquid simul esse & non esse.) dubium adhuc sit & incertum (revera enim principiorum complexorum omnium, primum est & maxime necessarium) sed quod Dialecticus eo ut probabili utatur, vel quod apud veteres nonnullos de ejus veritate dubitatum fuerit ut indicat Arist. lib. 4. Metaph.

11. Unde porro liquet omnia problemata in omnibus figuris per impossibile probari posse, excepto universali affirmante in modo Barbara: licet enim in secundâ & 3. figuris per imposs. ostendi possit, in primâ tamen non potest nisi ostensivè. Quoniam enim ut dictum, sumendum est ejus contradictorium, igitur si
illud

illud loco majoris propositi velles ponere, major evaderet particularis; sin loco minoris, minor negans, quorum utrumq; non admittitur.

12. Nunc singularum Fig. modi perquirendi essent & videntur, quomodo in iis omnis generis questiones per incommodum probentur; verum in genere sufficit scire, in quavis Figura questionem quamcunq; probari per impossibile, si modo ejus contradictorium; non vero contrarium sumatur.

Cap. XII. & XIII.

13. Interea perlustranda erit differentia, qua Syllogismi ostensivi & per impossibile ducentes distinguuntur. Illa vero triplex est 1. Syllogismus per Imposs. ponit ejusmodi propositionem, qua aperte falsa est: E contra Syllog. demonstrativus sive ostensivus falsam hypothesein non ponit; sed statim initium e veris & concessis sumit. 2. Syllog. per Imposs. unam saltem sumit propositionem, e qua problema propositum probatur, cui adjungit aliam, qua problemati contradicit, ast in ostensiva ambae premissae sumuntur, e quibus problema propositum probatur. 3. Syllogismi per Imposs. conclusio nota est tanquam aperte falsa, antequam adsint premissae quibus probetur conclusionem esse falsam & impossibilem; ast Syllogismi ostensivi conclusio tum fit nota, quando per premissas probamus. Duae priores differentiae sumptae sunt a parte propositionum; posterior a parte conclusionum ut patet.

CAP. XIV. Discrimed. Syllog. ostensiv. & per Imposs.

14. Conveniunt a. in hisce duobus, quorum unum, quod quicquid ostensivè, id etiam per incommodum & contra efficitur, alterum, quod terminis utrobique iisdem concludatur non tamen in iisdem Figuris.

15. Usus deniq; Syllog. per imposs. praecipuus est, ut eo adversarium urgere possimus maximè. Etsi enim illo directò sententiam nostram non probamus, quotiescunq; tamen adversarius aliquid negat, cujus oppositum longè verisimilius existit, protinus hoc ad cõpendium tanquam ad anchoram confugimus, sumentes propositae questionis contradicentem, qua manifestò vera, vel quam adversarius ante vel voce vel scripto tanquam veram defendere non erubuit atq; inde impossibile concludimus.

Usus.

THEOREMA VII.

Restat sexta & ultima potestas, qua est Ratiocinatio ex oppositis.

SECTIO



Antequam dicamus quid sit Syllogismus δι' ἀντικειμένων ex oppositis, tenendum est propositiones oppositas κατὰ λέξιν secundum dictionem quatuor esse, contrarias, ut O. homo est doctus. N. homo est doctus, duplices contradicentes, ut O. homo est doctus, Quidam homo non est doctus, quæ tamen uti in textu indicatur, tantum secundum dictionem sibi opponuntur.

Syllog. ex
oppositis
quid sit.

2. Quare his relictis dicimus syllogismum ex oppositis esse, quando è præmissis contrariis vel contradicentibus infertur conclusio, in qua idem de se ipso negatur, uti videre est in hoc exemplo, Nulla scientia est honesta. O. Scientia est honesta. E. N. scientia est scientia. Per contraria autem & contradicentia tam illa quæ actu sive quæ iisdem terminis voce & significatione simul constant, quam quæ potestate sive significatione tantum sunt talia intelligimus.

3. Colligere autem est è definitione, Syllogismum ex opp. in 1. Fig. extrui non posse. Affirmativus propterea non, quia is non fit è duabus præmissis affirmantibus, quæ locum in Syllogismo ex opp. non habent, cum semper una sit negans. Neque negativus, quia in oppositis propos. una affirmat altera negat idem de eodem, quod non fit in 1. Fig. quia medium alii termino in majore subjicitur & de alio in minore prædicatur.

4. Quæ ut melius intelligantur, notandum est è Tat. Com. sup. l. 2. prior. Anal. fol. 61. Syllogismum ex opp. alium esse illativum tantum, aliud illativum & probativum simul. Ille est in quo aliqua præmissarum formaliter cum conclusione eadem est, qui benè in 1. Fig. extrui potest, ut cum dico. N. homo est homo. O. homo est homo. E. N. homo est homo, hic in quo diversum accidit & de hoc verum est quod Philosophus dixit eum in 1. Fig. non valere, non verò de isto.

Obi.

5. Sed inquiet aliquis: Si in propos. oppositis idem de eodem affirmatur & negatur: utique in Syllog. ex opp. duo tantum erunt termini, è quibus aliàs non fit Syllogismus uti videre est in syllog. sect. 2. allato. Respond. licet duo tantum sint termini, quoad vocem & significationem, tres tamen sunt quoad officium dum alter vice duorum fungitur, non secus ac in analogiâ ad minimum quatuor

Solut.

quatuor termini requiruntur, cum tamen haud raro tres tantum
adbibeantur, inter quos unus bis sumitur. 321

6. Porro in secund. Fig. tam è contradictoriis, quàm contrariis CAP. XVI.
fit Syllogismus. Ex illis, ut; O. scientia est honesta. Quaedam scientia
non est honesta E. Q. scientia non est scientia, ex his, ut O. scientia
est honesta. N. scientia est honesta, E. N. scientia est scientia.

7. In 3. Fig. fit quidem Syllog. ex oppositis, sed non in modis af- CAP. XVII
firmantibus. Ratio eadem est, quam in 1. Fig. adduximus.

8. Sed adhuc duo restant dubia excutienda, quorum unum, un- Dubia duo.
de colligendum sit Syllogismum ex opp. esse in 2. & 3. Fig. cum
duos tantum terminos habeat? Alterum, an semper in Syllog.
ex opp. sequatur conclusio falsa, quemadmodum Aristoteles
innuit.

9. Ad prius respondetur respiciendum esse ad terminum illum, Ad 1.
qui vice duorum fungitur: Nam si is subjectum est, Syllogismus e-
rit in secundâ, sin prædicatum, in tertiâ.

10. Ad posterius affirmativè cum Arist. Respondemus, ratio est, Ad 2.
quia fieri non potest, ut idem de seipso negetur, quod fit in conclusi-
one Syllogismi ex oppositis: quam ob causam quoq; rectè inquit sub
finem capit: manifestum est ex falsis verum concludi posse, ex
oppositis autem non posse; semper enim conclusio & ratio-
cinatio est ipsi rei contraria. Limitatio tamen à quibusdam, Tat: d. 1.
Scholasticis additur, dum dicunt, conclusionem posse esse veram,
quando alterum extremum importat rationem impossibi-
lem, seu quando termini pro nullo supponunt, ut cum dico. N.
Chimæra est Chimæra. N. homo irrationalis est homo irrationa-
lis, existimant enim earum contradictorias esse falsas, unde illorum
veritas efficitur. Verùm nescio an hoc sit $\phi\acute{\alpha}\rho\mu\alpha\kappa\omicron\nu\nu\sigma\phi\omicron\nu$, siqui-
dem discrimen inter hanc, N. Chimæra est Chimæra, & hanc, N.
scientia est scientia, videtur esse nullum. Quemadmodum igitur
hujus potius contradictoria vera est, quædam scientia est scien-
tia: ita & illius, quidam homo irrationalis (posito quod
detur) est homo irrationalis.

☉ [o] ☉



Aaa

Corol-

Corollaria.

I.

An poculum aureum & poculum argenteum accidentaliter differant, & an hoc stante discrimine per accidens quoddam inhærens differant? Prius affirmatur; posterius negatur.

II.

An anima rationalis sit forma potius adstans, quàm informans, ut Averroës censuit? N.

III.

Ut quis justè vel temperanter sive ex habitu justitiæ vel temperantiæ agat, an necessariò requirantur illa tria, quorum meminit Arist. *l. 2. Eth. c. 3.* nimirum ut agat 1. *sciens*, 2. *cum electione*, ac denique 3. *stabili atque immutabili affectu*? A.

IV.

An ad solas qualitates tertiæ speciei per se sit alteratio? Si latè sumtum fuerit vocabulum alterationis, pro quacunque nimirum vel qualitatis vel novæ etiam relationis acquisitione, sanè magnoperè non repugnaverimus; aliàs affirmativam cum *Aristotele l. 7. Physic.* tuebimur, quamvis neq; hoc promiscuè de
omni-

omnibus tertiæ speciei qualitatibus intelle- 323
ctum velimus.

V.
An motus circularis cœlo sit naturalis se-
cundùm Aristotelis sententiã? Videtur quod
non, tum quia cuiusq; rei motus naturalis ad
quietem tendit, cœlum verò nunquam quie-
scit, tum quia movetur ab Intelligentiis: ve-
rùm ut nihil hac vice dicamus, quousq; horum
argumentorum veritas sese extendat, contrari-
um facillimè è lib. 1. de Cœl. c. 2. probabimus,
ubi expressè asseritur, necessariò dandum esse
corpus aliquod simplex, cui motus circularis
naturaliter competat.


VI.

An lien alicui tutò & absq; vitæ & sanitatis
periculo eximi possit? Vulgus quidem hoc
ipsum persuasum habet; nos non item propter
insignem usum quem Lienem præstare oportet:
Nec obstat quod moderni nonnulli cum
Aristotele lib. 3. de part. Animal. c. 7. peculiaria lie-
ni officia ascribant, dum eum simili cum Epa-
te natura præditum esse adeoq; inibi non mi-
nus sanguinis officinam constitutam esse asse-
runt, secus ac *Galenus, Vesalius & Andr. Lauren-*
tii sentiunt, dicentes ejus usum esse, ut humo-


Aaa 2

rem

rem melancholicum attrahat & concoquat. Hæc enim licet ita sint, omnes tamen in eo consentiunt, lienem in humano corpore valde utilem esse & necessarium. Quod verò Bauhinus l. de part. Cæsareo ait, se corpus quoddam absq; liene & epate invenisse: Respondetur naturam in isto corpore peculiare quid molitam fuisse, quemadmodum etiam ipse Bauhinus fatetur inibi intestinorum carnem solidiorem carne muscutorum extitisse, venamq; cavam ex intestinis ortum suum traxisse, quod cum ordinario naturæ cursu non congruit.



Disp. XXIV.



Juveni


Ornatissimo & Doctissimo

JOHANNI DIETLMAIERO.

Sil Logicam ignoras, tua erunt me letemata frustra;
Si Logicam nosti, benè erunt me letemata quævis.
Ergo tuis studiis sacris sic consulis aptè,
Illotis quando manibus non tangis, & absq;
Consilio Logices divina oracla salutas.
Gratulor hanc mentem, & voveo de pectoris imo,
ut similes habeas plures; sed nescio quæ vox
aures jam vellit: SALTEM POSTILLA legantur!

ἐν τῷ ᾠδῶν ἔργῳ

M. Michael Wolfius Praeses & p. t.
Rector.



Sympatriotæ suo.

Est aliquid Sacri voluisse volumina verbi,
Et mare juridicum sulcasse, & noscere morbos
Ritè salutiferis curare & pellere plantis.
Despectâ at Logicâ studia haccine manca jacebunt,
Nec verè poterit quis Mystes Jureperitus
Dicier, aut Medicus, Logicam qui negligit artem.
Jane meum corclum, tu qui conamine tractas
Laudando Logicam, rem quam commendo faceffis.
Perge velut pergis, sic quondam pagina verbi
Divini, ostendet Logices quis fructus & usus.

Tu qui:

*Tu qui cœlicolas regis, & Mortalibus agris
Induperas, studiis hujus sis fautor & auctor,*

appos.

Joh. Jac. Geyer Ratisponensis.




Deditus es studijs, de te mihi dicere plura
Nil opus est; etenim Res probat ipsa, fat est.

*Johannes Simerlinus Ratispo-
nensis.*

F I N I S.





ξὺν Θεῷ
DISQVIVISIONUM OR-
GANICARUM VICESIMA
TERTIA,
De
POTENTIIS SYL-
LOGISMORUM
è lib. 2. prior. Analyt. cap. 1. & seqq.

36
22. an
Vid. supra ante 14.
folia.

QUAM
in Illustri ad Salam Academia,
PRÆSIDE
Clarissimo & Excellentissimo VIRO

Dn. M. MICHAELE WOLFIO,
Philosophiæ Naturalis Professore publico. p.t.
Rectore Magnifico, Præceptore ac Fautore suo
observando

Defendendam suscipiet
JOHANNES DIETLMAIERUS RA-
TISPONENSIS.

Horis & loco consuetis.
Ad diem 6. Cal. Maij.

J E N Æ
Typis Johannis Beithmanni,

ANNO M. DC. XVII.

Clarissimo, humanissimo atq; Doctissimo Viri. Dno M. Johanni
Wilcovio P. L. Gymnasij Poctici Ratib. Globerrimi Con-
siliario vigilantissimo, Præceptori ac Fatori suo honoranda

210/20-4
K 60

Md043